

1538 reliquis arma induenda impelleret. Verum ab eo, vel quia in fanciendo foedere nulla facta mentio fuisset, vel quod nimiam Caesaris potentiam suspectam haberet, nihil impetrari potuit; immo Zuccato introducto, mirari, inquit, hæc a se Senatum petere, qui paulo antea Vicetiae a Pontifice Concilium indici passus esset, neque ullam illius in percutiendo foedere rationem habuisset: ceterum vaticinari, ad eandem pacem, atque concordiam cum Suleimano Senatum reditum.

*Francisci
Regis orator
ad Venetos.*

*Rhodesi
Gallia Re-
gis ordina-
rii legati
apud Ven-
etos officium.*

Neque minorem ob initam a Venetis societatem Galli molestiam cepisse videbantur: nam cum per eos dies e Gallica nobilitate vir Venetias accessisset, ut Regis nomine de dimisso conventu, ac de propenso illius in pacem animo Patres doceret, simulque Regis ad conciliandam cum Suleimano Rempublicam operam detulisset; addiderat, Regi foedus minime probari, illudque, vel ingravescente Pontificis ætate, vel ob Caesaris bello impliciti incerta subsidia periculis obnoxium censere. Mox, Senatusconsulto de foedere confecto, ad Patrum Collegium reversus, acriter conquestus est; adversus Regem foedus initum fuisse; illum, undique collectis auxiliis, omni aliarum rerum posthabita ratione, se, suaque defensurum. His Rhodensis ordinarius legatus addidit: bellum Regi, licet tacite, a Republica indictum videri; nihil sibi, nisi discessum, superesse. Ad hæc Princeps: Foedus in communem hostem. non in Regem, quem summo studio, atque observantia Respublica coleret, ictum. Tum a Senatu de singulari illius in Rempublicam studio gratiæ actæ; subiectumque, summis votis pacem inter Regem, ac Caesarem optare, ut magnanimus Princeps, atque ad summum christianæ reipublicæ decus ortus, viribus præpotentis, & nobilissimi regni in egregium hoc opus intenderet: de more tandem donatus a Senatu dimissus est.

In Caesare quoque ambiguus in difficillimo bello gerendo animus videbatur: modo bello Gallico detineri, quin totis viribus adversus communem hostem uteretur; nonnunquam hoc anno pro defensione tantum laborandum; sequenti, comparatis, atque apprime instructis viribus, hostes in eorum ditionibus laceffendos. Joanni Antonio Venerio quoque significandum curaverat, adeo se proclinato in Rempublicam animo esse, ut, de pace